Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1717

Quelle:
Copyright:

emplar latinum recenſui *Vol.* I. P. 2. *col.* 2444. ubi etiam Exemplaris germanici inter Codices *mſs. Chriſtinae Suec.* in *Vaticana* memini. Praeſens ἀνεπιγραφον eſt, et incipit, ut latinum: *Manigveltigleich in mangerlay weis hat got vnſer herr Jeſus criſtus durch ſein ewangeliſten czweliffboten lerer vnd Junger* &c. Nomina tamen propria, ut fit, diverſimode a latinis abeunt. *Purgatorium Patritii* ſemper adpellatur *die Weizzen*, quae vox *Wizze*, *Wizzi*, *Weice*, *Wice* jam apud *Keronem* pro *Poena*, *Tormentum* occurrit, neque inter ruricolas *ſuper. Auſtriae*, dum de adparitione Animarum purgantium ſermo eſt, prorſus exolevit. Ad finem *penult. Cap.* Librum hunc ſcripſiſſe dicitur *pruder niclas von der aſtaw*, ſive legas *aſcaw*. *Nicolaum Aſtonum* proferunt Literatores Angli, et congrueret aetas; floruit enim circa a. 1363. Verum is *Frater* non fuit. *Aſchavia ſuper. Auſtriae* Oppidum eſt.

Anterior Theca praefert Galeam *Trenbachiorum*. Poſt prius Opus legitur: *Das puechll Iſt Herrn Ortholphen von Trenbach ze ſand mertten*. Thecae poſticae ruditer adpictum eſt Inſigne *Trenbachiorum*, circumdatum aliis 7. videlicet: *Sattelpogen*, *Achdorff*, *Zenger*, *Stabell*, *Ayſtershaim*, *Sinczendorff* et *Anhanger*, quae Familiae cum *Trenbachiana* connubiis junctae fuere, ut colligi poteſt e *Genealogiis Auſtr. ſuper. J. G. Adami L. B. Hoheneckii*, nunc vero praeter penultimam omnes extinctae ſunt.

DCCXVII.

Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 46. 4. pereleganter exaratus inſcribitur: *Salmi di Meſſer Bernardo Taſſo*, dicaturque *A la Sereniſs*. *Madama Margherita di Vallois Ducheſſa di Savoia*, quam *Franciſci I. Franciae* Regis filiam *Emm. Philibertus* Dux in toro habebat. Et reipſa Exemplar noſtrum illud eſſe, quod ad *Margaritam* miſit Autor, probat cum ſummus calami nitor, tum Inſigne *Sabaudicum* circumfluo Virginis vulgo *Annuntiatae* equeſtri torque thecae utrinque auro impreſſum, denique Dicatio ipſa data *Di Venetia. il XV. di Decembre. del. MDLIX.* ad apicem reddita a *Gabr. Giolito*, qui *Pſalmos* hos XXX. non e *Davidicis* converſos, ſed proprio ingenio *Bernardi* non minore pietatis adfectu, quam linguae metrique cultu elaboratos primus in lucem etulit *Venet.* 1560. 12. cum reliquis *Taſſi* Poematiis (*Rime*) in V. Libros diviſis, Libroque Hymnorum et Odarum. Unum eſt, quod Dicationi editae deeſſe video: *Di V. Altezza Humill. et perpetuo Seruo Il Taſſo*; quod, cum a reliqua ſcriptura differat, ipſius *Bernardi* manum habeo. Pſalmi ipſi incipiunt: *Perche ſommo Motore In me de l'ira tua gli ſtrali aventi* &c. De eorum Editionibus videri poſſunt Autores R. 1216